

† **P. Ioannes Baptista Smits (1878-1956)**

(*Prov. de Rio de Janeiro*)



Ioannes Bapt. Franciscus Smits natus est die 12 ianuarii 1878 in Roosendaal, in australibus Neerlandiae plagis, e parentibus pietate, industria, navitate conspicuis. Sic, ut exemplis utar, pater quotidie Viae Sacrae obibat stationes; et mater, quodam die filium increpans nimis familiariter utentem condiscipulo petulanti ac levi: « Ioannes, inquit, unam solummodo habes animam; aut ab amico disiungaris, aut domi manens a studiis recedas oportet! ».

Acolythus cum esset in ecclesia nostra, vocationem, ut pluries fit, ad Congregationem nostram in se sentiens, non nisi post repetita tentamina in Iuvenatum admissus est. Absoluto tertio studiorum cursu, domum veniens feriis fruiturus, epistolam Directoris invenit qua se expulsus cognovit. Spe itaque pro tempore frustratus, in Seminario dioecetano studia media ad finem perduxit, interim quotidie Deiparam invocans et S. Alfonsi recitans litanias. Tunc iuvenis, ut Novitiatus portae sibi panderentur, ter suppliciter petiit terque repulsam passus est, donec tandem aliquando obtinuit quod cor inde a puero cupierat.

Vota emisit anno 1898 et post quinquennium, mense octobri anni 1903, sacerdotio auctus est in Collegio Wittemiensi. Vix emenso Studentatus curriculo, a Superioribus in recens erectam Vice-Provinciam Brasilianam, nunc Provinciam de Rio de Janeiro, deputatus est, quam translationem alacri arripiebat animo.

Dies 14 aprilis anni 1905 initium assignavit laboris strenuo ac forti animo exantlati et per dimidium saeculum in Brasilia non intermissi. Qui per tam

aerumnosam odysseam Institutum nostrum erat amplexus, postea dignus habitus est qui Rector, Minister et Consultor vice-provincialis renutiaretur. Consultor vice-provincialis fuit per 16 annos; munere rectoris functus est per 14 annos.

Indole pollebat hilari, lepida, aperta ac constanter ad iocos proclivi. Ubicumque vivax atque statura pusillus apparebat, sive missiones ac recessus praedicans, siye paroecialibus muneribus perfungens, omnium corda raptim sibi devinciebat evadebatque « vir popularis » omni exceptione maior. Inerat ei agendi modus prorsus personalis, penitus inimitabilis, quoddam charisma vel, ut ita dicam, magnetis vis. Quae dotes alliciebant quotquot eum adibant. Tum ut parochus nostrae ecclesiae S. Ioseph in urbe Belo Horizonte (1915-1918), cum ut Rector ad S. Alfonsi in Rio de Janeiro (1918-1924), omnium animos captabat sua bonitate, sua affabilitate, suo dynamismo, sua semper contagiosa animi inflammatione, vulgo « enthousiasme ». Peculiariter penes cives urbis Fluminis Ianuarii (Rio de Janeiro) bene sese habebat, inter quos domicilio quasi stabili fruebatur per 24 annos continuos, praepositus sodalitia virorum Sacrae Familiae, passim *Liga Católica Jesus Maria José* nuncupato; cui sodalitati per integram vitam totum sese devovebat sacrificabatque ex ino pectore. Dux generosus et magnanimus, secretum noverat viros ephebosque electrificandi, tum nuntios popularissima ratione praemittens conferentiasque coram ipsis proferens, tum ante agmina masculina eorumque vexilla incedens et corda accendens in magnis processionibus, concentrationibus atque publicis manifestationibus, occasione cuiuslibet festi aut iubilai aut adunationis.

Confratre nostro intima ac fraterna amicitia utebatur ipse Em.mus Cardinalis Seb. Leme da Silveira eumque consulere consueverat in quocumque casu emergenti vel perplexo qui surgebat, solique Deo notum est quoties *Padre João Batista* quempiam rerum statum salvarit dubiave solverit fastidiosa. Quamobrem annis illis infestis (1935-1937) in tabula nigra inimicorum religionis priorem occupabat locum, primos globulos igneos accepturus in rubra revolutione forsitan victoriosa; necnon nostra ecclesia S. Alfonsi, arx Catholicismi principalior habita, ante omnia, casu quo vicissent evertenda ipsis erat.

Inde a mense novembri anni 1922 ad dignitatem evectus Directoris Generalis omnium Sodalitiorum Sacrae Familiae in Brasilia existentium, peragravit vastas regiones Statuum Fluminis Ianuarii, Minas, Spiritus Sancti, Bahiae, Pernambuci, Districtus Foederalis, erigens ubique nova sodalitia virorum, comite semper et ubique sua stella felice: immenso affectu « virorum suorum », qui eum in manibus et humeris portabant ovantes. Praerat, successu nunquam absente, peregrinationibus in Almam Urbem et in Coetus Eucharisticos, uti Bonaerensem, Bahianam, Recifensem, ceterosque. Silentio quoque obducendam non esse puto eximiam eius actuositatem in praeparando et dirigendo

Primo Conventu Eucharistico Nationali Flumine Ianuarii in centenario Independentiae (1922) habito.

Anno 1942 renuntiatus est Rector collegii celebris Sanctuarii S. Gerardi in oppido Curvelo; et anno 1946 domui Iudicisforensi (Juiz de Fóra) adscriptus est. Paulatim tunc incepit tardigrada decrescentia; aegra valetudo et surditas impediabant quominus laboribus sese dederet, ut semper et tunc cupiebat ipsius zelus apostolicus. Mors quae die 24 ianuarii huius anni eum carpsit, ipsum liberavit a miseriis huius vallis lacrimarum. Sacra Familia, cuius gloriam ac venerationem per totam existentiam sacerdotalem quaesierat ac promoverat, certo certius pulchram meritamque coronam ipsi reservavit in regione viventium.

BERNARDUS HAANAPPEL